

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Christophoro Ruellio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

scientium paucitas est. Quò magis te adhortor, ut in eam rationem studiorũ, in quam authoritas patris induxit, diligenter incumbas: ut optimas res, & in uita maximè necessarias, diuinitus humano generi donatas, Reipublicæ conseruare pro tuo uirili studeas.

Munus tuæ matris, foeminae honestissimæ, gratissimum mihi est; & erit pignus amicitia, tibi nunc propriae mecum constitutæ, quam opto esse felicem.

Ne hic publica & priuata negocia sic alligauerunt, ut nusquam pedem proferre licuerit. Bene uale. Saluta meis uerbis reuerenter patrem tuum, uirum optimum: ac matrem, honestissimam foeminã: & tuos præceptores, D. Agricolam et Iustum. Anno 1527.

Christophoro Ruellio S. D.

Ego boni uiri conspectum, faustissimum omẽ esse interpretor. Itaque ualde gauisus sum, cum fortè in aulam, quò nos quoque uocati eramus, uenisset pater, uir optimus, & hoc ipso tempore legatus de pace & tranquillitate totius Germaniæ. Libenter igitur dedi ei petenti ad te literas, ut tecum cõmunicarem hanc uoluptatẽ, quam ex inopinato hoc congressu tui patris cepi. Sperabam enim me tibi facturum rem gratissimam. Nec uerò habebam hoc

y 5      tempore

Tempore argumentum aliud. Nam adhortari te ad studia, quod sæpe alias feci, nō ualde opus est: cum enim uideam ultrò te incitatum amore optimarum artium, gratulari tibi magis deo, ac bene precari. Bene uale. Anno 1533.

## Eidem.

Reddidit mihi literas tuas, charissime Christophore, cōmunis noster adfinis Ambrosius Reuter: & gaudeo fuisse nostras literas tam gratas & acceptas tibi. Deinde intelligo, etiam meam admonitionem utilem & salutarem uideri: id quod maxime ego & cupiui cum scriberem, ac etiam nunc cupio: ac oro Dominum, ut cursum tui studij feliciter dirigat. Plura nunc non licuit: nam festinabat nuncius abiens: & ipse scriptitando sedebam occupatus. Boni consulas oro, aliàs plura. Parenti tuo optimo uiro dices, me daturum operam, ut animo suo satisfiat, idq; breui. Nam hodie uno libro absoluto, liberior ero. Saluta simul quoque matrem tuam honestissimam, unà cum fratre, & omnibus tuis socialibus. Bene uale.

## Eidem.

Mihi uerò his turbulentis temporibus non nihil afferunt solatij studia bonorum iuuenum, quorum uirtute atq; industria ( ut spero ) literæ, quo conti-